
IOSEPHI KHELL E SOCIETATE IESU AD PERINLUSTREM S.R.I. EQUITEM IOANNEM...

Joseph Khell von Khellburg

Digitized by Google



KHELLIVS HAVERO PERINLVSTRI

S. P. D.

SImilem fere numum, qualem epiſtolæ præfixi, a me Comitati tuæ procuſum videres EQVES NOBILISSIME, ſi in monetariorum conlegium adlectus ea viverem tempora, quibus privatorum etiam virtus publico in ære conſignabatur; exigeret id ſuaviſſima illa facilitas, qua me in amicitiam tuam admiſiſti: indulgentia, qua numophylacium tuum cenſoria poteſtate a me perluſtrari voluiſti. Recentiſſima in memoria nobilium etiam meorum diſcipulorum

Digitized by Google

verſatur præclara illa in nos, & rem antiquariam voluntas tua, qua editis tum de geographia numiſmatica, cum de omni regum veterum univerſitate Regio in Thereſiano conlegio tentaminibus, ſepoſita tantiſper militarium negotiorum mole, non te conmodaſti ſolum, ſed prolatis etiam tua ex gaza vetuſtis monetis inluſtriſſimorum adoleſcentum numariam eruditionem es periclitatus.

His, aliisque in me ſtudiis vicem reddendi occaſionem pridem exoptavi, cum percommode ex communibus amicis intelligo, jucundum tibi fore, ſi ſententiam, quam de ſingularibus duobus æneis numiſmatibus tui muſæi paucis verbis tibi indicaveram, ſcripto luci publicæ committerem; Adnui toto capite, obtenta a te adcuratiſſima ectypa, quæ opellæ executionem urgerent, præ oculis conſtitui, aſt hæſere in pluteo per menſes; Protelationis hujus veniam a te VIR CLARISSIME minime deſpero, commune nos fatum premit, quemadmodum te bellica ſubſellia ita ſuum volunt, ut per menſem vix horulam ſubſurari liceat, qua Divæ Monetæ tuo pro genio lites: ita Garellianæ bibliothecæ publico uſui in dies patentis cuſtodia, prælectiones hiſtoricæ quotidianæ me mihi eripuere, ut ne amicis quidem vacuus fuerim. Favent ex literario itinere reduci poſtremi autumnalium feriarum dies, hos cimeliis tuis perlibenter conſecro, atque ad rem adgredior.

Erant, querebaris mihi, antiquarii, qui Decium tuum nigra faba notabant, aliquibus hos inter circulus adverſæ

Digitized by Google

verſæ partis minor, quam averſæ grave ſatis damnationis momentum videbatur; cenſores quam rigidos, tam minutos hos habe, congruit, fateor, plerumque utriuſque typarii diameter, aſt eam ſemper adcurationem fuiſſe monetariorum, ut ſi aliqua in facie metalli orbis procurrit, numus is illico, etſi reliqua ſint integra, ad forum ſcrutarium inter emeritas lampades, & fracta cochlearia ſit relegandus, id equidem negaverim, atque in numiſmatibus maximi moduli potiſſimum; adſervatur in gaza Auſtriaca Vindobonenſi numus Alexandri imperatoris formæ maximæ ΘЄΜΙCΩΝЄΩΝ. a nobis *T. II. pag.* 70. exhibitus, in cujus antica circulus typi metallo nudo undique coronatur, poſticæ vero limbus orbi numiſmatis apte congruit. Hoc numorum genus conpellavi præ aliis, cum ſæpius major figurarum numerus majorem a pictore, & ſcalptore aream exegerit.

Adde jam caſum aliquem EQVES. GENEROSISSIME, qui operis properationem forte urgebat, & rem confectam habebis, nempe ut ob ſimilem rationem ſub aditum imperium principis alicujus in deceſſoris numo ſigna incuſa, puta: TIB. in numis Auguſti, TI. CLA. in Caii, IMP. GA. in Neronis, alia noſtris in manibus verſantur: ut quatuor numi Titi, Domitiani, & Nervæ obcurrunt cum epigraphe REST. & ſolo SC. in area numi, quia juxta eruditam conjecturam CL. LE BEAV. *Mem. des bel. let. T. XXI. pag.* 393., monumenta publica, quæ ſimul reſtituta erant, tam cito ſcalpro in chalybe fingi non poterant, quam

adulans ſenatus imperatori gratum ſuum animum declarare cupiebat, ita evenire ſane poterat, ut numiſmatum pro congiario diſtribuendorum fabrica temporis anguſtiis interclusâ, averſæ partis typario formato, obvium aliud pro capite ex majoris formæ numis adripuerint, qui iis flandis, feriundis publica autoritate erant conſtituti.

Atque iſtiuſmodi neceſſitatem, ſi quid video, VIR ORNATISSIME anno V. C. 1004, X. 251, urſiſſe fabros mecum conſenties, ubi numi, & hiſtoriæ περιστάσεως diſcuſſero. Id hic obiter te monitum cupio, loqui me hic, quod temporum rationem adtinet, cum TILLEMONTIO, & chronologorum turba, qui Philipporum interitum ad medium, vel finem anni V. C. 1002., X. 249. conlocant, nolo enim, numis epocha inſignibus aliarum urbium deſtitutus, nodum illum ſecare, quem in *IV. Tentaminibus ſuis pag.* 343. *& ſeq.* intricavit optimæ memoriæ FROELICHIVS noſter: ſitne æra Anazarbi ab anno V. C. 734, ubi hactenus eſt defixa, anno uno in anteriora tempora ſubmovenda: an vero Decius jam anno V. C. 1001. auguſtus agnoſcendus? Quod ſi documenta adforent etiam, non ſineret propoſitum argumentum in novam diatriben evagari.

Ad numum, qui præ oculis eſt, redeo. Narrat AVRELIVS VICTOR de Decio: *Filium Etruſcum nomine Cæſarem facit: ſtatimque eo in Illyricum præmiſſo, Romæ aliquamdiu moratur mœnium gratia, quæ inſtituit, dedicandorum.* Arbitror præterea thermarum, de quibus CASSIODORVS: *Decius*

cius lavacra publica ædificavit, quæ ſuo nomine appellari juſſit. Locum deſignavit POMPONIVS LAETVS ſententia paullum alia: *Senatus Decii nomine Decianas thermas in Aventino ædificavit*, e quarum nempe ruinis juxta plurium opinionem S. Priſcæ templum ſurrexit. Meminit ZOSIMVS. *L. I.*: τῶν πραγμάτων διὰ τὴν Φιλίππου περὶ πάντα ἐκμέλειαν ταραχῆς πληρωθέντων. *Plenas perturbationis res fuiſſe ob Philippi in omnibus negligentiam.* EVTROPIVS vero *L. IX.* κινηθέντος ἐμφυλίου πολέμου, τοῦτο μὲν ἐκράτησε μάχῃ. *Motum* (in Gallia) *civile bellum prælio obpreſſit.*

Si tam turbulenta erant imperii initia, vix arbitror illico de publicis ædificiis, atque balneis præcipue cogitatum, cœpta hæc opera fuerint vere anni V. C. 1003, dimiſſo interim Decio Cæs. contra Gothos in Mœſia graſſantes. Captæ ea ætate Philippopoli ad Hebrum ſubinde malorum cumulo adceſſit L. Priſci defectio, qui adſumta purpura exeunte anno ſe Gothis contra Decium junxerat, quare veris anni V. C. 1004. initio, ut ex ceſſante in Africa Chriſtianorum perſecutione, cum ex ipſo ſingulari tuo numo cum hiſtoria conparato EQVES PERINLVSTRIS conficitur, veris, inquam, initio ad filium, & Mœſiacum exercitum properavit Decius, *aliquamdiu* ſolum *moratus*, ut ex AVRELIO diſcimus, *mœnium* (addo, thermarum) *quæ inſtituit, dedicandorum.* In hujuſmodi feſtis populo ludos, & congiaria data, nemo niſi in Romanis moribus hoſpes negaverit; quia moras non patiebatur rei publicæ periculum, pro dedicatione tardiore commodo alias tempore celebran-

lebranda adproperare omnia juſſiſſe Auguſtum vero conſentaneum eſt maxime. Quid hic deprehenſi ſuo in labore agerent monetarii, quam ut typarium magni moduli jam alias adhibitum, miſſilibus ſuis, etſi diametro averſæ non ad amuſſim congruens, inprimerent? vides, ut numiſma tuum, in quo TR. P. II. conſignata eſt, aptiſſime tempori reſpondeat.

Cum de *Tribunitia Poteſtate* mentionem feci, illud ſubivit præterea, fuiſſe & forſan non paucos emunctioris aliquantum naſi antiquarios, quibus ipſi tituli: P. M. TR. P. II. numum rariſſimum adulterinum eſſe perſuaſerint. Legerint hi nimirum, atque pro ſenatus conſulto antiquario venerati fuerint illam CL. VAILLANTII ſententiam, quam in animadverſionibus ad numos ex muſæo FRANC. DE CAMPS ita prodidit ad numiſma primum Decii *pag.* 101. *Nihil ille* (Decius) *cupiebat agere, niſi quantum ſenatus juberet, ei cenſuram remiſit, jus quintæ relationis, & proconſulare imperium, nec non jus tribunitiæ poteſtatis ſenatus populique Romani arbitrio permiſit, unde in ejus numis nulla TR. P. nota, & in maximis S.C., quaſi ſenatui reddidiſſet poteſtatem eorum cudendorum, quam Hadrianus ſibi arrogaverat.*

Benignius cum numiſmate tuo VIR. ORNATISSIME actum fuiſſet, ſi prolapſum hic fuiſſe VAILLANTIVM mecum agnoviſſent arbitri illi tui, quod dum adſero, nihil æternis celeberrimi viri in rem numariam promeritis detraho, ſed ex ipſo errore axioma illud altius inprimendum infero,

fero, quam cautiſſimos nos eſſe oportere in ſtatuendis legibus univerſalibus, quas unicus forte inventus integerrimæ antiquitatis numus, quemadmodum alter Decii apud FROELICHIVM. *VI. Tentam. L. cit.* HARDVINI & PIOVENE eruditas de epocha ΕΤΟΥΣ. ΝΕΟΥ. ΙΕΡΟΥ. conjecturas evertit.

Dedocuit hoc VAILLANTII σφαλμα primus, quod ſciam Inluſtriſſimus Baro DE LA BASTIE præclaro ſuo in IOBERTI *Science des Medailles* commentario *T. II. pag.* 61. ex duabus inſcriptionibus apud GRVTTERVM, quas, quia indicatæ ſolum, neque GRVTTERI, aliave volumina omnium ſunt in manibus, huc tranſcribere placuit:

IMP. CAES.
C. MESSIO.
QVINTO. TRA
IANO. DECIO.
ſic
PIO. FOELICI, AVG.
PONTIFICI. MAX.
TRIB. POT. III. COS. II.
P.P. PR. COS.
ORDO. FELTR.

B Hæc

Hæc Feltriani in cippo. En alteram Moguzani ad ripam Benaci in columna:

IMP. - - - - - - - - -

C. - - - - - - - - - -

TRAIANVS. DECIVS.

F. AVG. PA. P. TRIB. POT.

II. COS. II. PI. C.

Idem quod BIMARDVS, VAILLANTII celeberrimus continuator, & rei numariæ per Italiam lumen FRANC. BALDINVS in præfatione ad *Numiſmata Impp. Roman. præſtantiora* Romæ anno CIƆIƆCCXLIII. edita, etſi in nota S.C. fere totus ſit, ex marmoribus aliis conficit.

Id hic miror, nemini in mentem veniſſe ex numis ipſis, de quibus agebat potiſſimum CL. VAILLANTIVS, demonſtrare, nequàquam his titulis ſe abdicaſſe Decium, cum tamen pridem apud BEGERVM *Theſ. Brand. T. II. pag.* 733, alter apud HARDVINVM ex muſæo P. Chamillart proſtet numus Decii cum epigraphe: ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞΟΤCΙΑC; Qui pervicaces ſua in ſententia eſſe volent, lapſum hic Antiochenorum ex more, cui in deceſſorum ære inſueverant, profectum arguent. Dabo id tantiſper, incuriam libens admitto in duobus Hetruſcillæ numis cum eadem averſæ partis epigraphe, ſed ut in Herennii Hetruſci numis toties (quinque enim

enim ex muſæis aliis, & typo diverſos deſcripſit BANDVRIVS) toties, inquam, erraverint, in animum inducere non poſſum præſertim, cum exiſtimem, Decium juniorem non ante annum V. C. 1004. communicata tribunitia poteſtate Auguſtum a patre renunciatum, confirmatus marmore Florentino nobis a Sponio deſcripto:

IMP. CAES. C. MESSIVS.
ſic
Q. TRAIANVS. DECCIVS
INVICTVS. PIVS. FELIX. AVG.
P. M. TRIB. P. COS. II. PP. PROCOS.
ET. Q. HERENNIVS. ETRVSCVS
MESSIVS. DECCIVS. CAESAR.
\- - - - - - - - -

Non moveor PAGII autoritate, qui *pag.* 244. ex iſtiusmodi numo infert, Herennio illico poſt adreptum a parente imperium cæſari, jam anno V. C. 1002. tribunitiam poteſtatem adtributam, id enim ex numi Antiocheni epigraphe ab eodem clariſſimo viro producto exugi non poſſe omnino arbitror, cum *Imperatoris*, & *Auguſti* tituli a tribunitia poteſtate nullo exemplo in conlegis imperatoribus ſeparati fuerint.

Aſt numi hi omnes inſcribuntur: EPENN. ETPOT. ME. KT. ΔEKIOC. KAICAP. Ita ſane, nec tamen Δημαρχικην Εξουσιαν ad annum anteriorem referendam, nec

erraviſſe Antiochenos, ſed properaſſe, ut cum tuo EQVES SPLENDIDISSIME numiſmate Romanos, ſentio; Præter omnium expectationem, forſan dum congiarium tuum celebrabatur, conlegam ſibi filium in ipſo ad bellum procinctu juſſit Decius, adripienda erant antiqua typaria cum cæſaris inſcriptione, ut electionem hanc cito gratularentur Antiocheni, ablato etiam ex vicinia Jotapiani capite perterriti.

Cur vero deinceps nullus cum AΥΤΟΚΡ. cum CЄΒ. titulis procuſus? Nempe nihil pretioſarum harum mercium ſepultum adhuc, quod a nobis, aut poſteris eruatur? Hoſtiliani fratris (ſeu ab ſenatu, ut AVRELIVS. VICTOR in epitome, ſeu ab ipſo Gallo Voluſiano *Auguſtus* adpellatus fuerit, ut ZOSIMVS ſubindicat, teſtibus etiam Latinis, Græcisque numis quibuſdam) Hoſtiliani tamen hujus numus Antiochenus nec ipſe niſi titulo KЄCAP, etſi cum epigraphe: ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞΟΥC. apud BANDVRIVM obcurrit. Adde menſibus paucis tum Herennium, cum Hoſtilianum iſthoc honore fuiſſe perfruitos.

Vides, quorſum hæc diſputata ſint? ut felicitatem tuam, & monetalem Fortunam ames, qui unus VAILLANTII axioma numo Romani commatis, & quidem moduli maximi, ſi marmora etiam tacerent, evertere potis es, nihil enim de hac gloria tua decerpent numi duo argentei, quorum alter jam cum ampliſſimo numophylacio CL. ROTHELIN, ut ex ſuaviſſimo conlega, ac de re literaria optime meri-

merito CHRISTIANO RIEGERO hinc ad mathematicen potiſſimum docendam Madritum evocato intellexi, ad eum regem conmigravit, qui magnifica ſua munificentia omnium artium & ſcientiarum muſas in regiam ſuam adlicit, quorum inquam, alter ita inſcriptus :

IMP. C. M. Q. TRAIANVS. DECIVS AVG.

P. M. TR. P. III. COS. PP. *Mulier ſtans d. baſtam, aut caduceum longiorem. ſ. cornu copiæ.*

Alter ex conlectione P. Chamillart ab HARDVINO *Oper. ſelect. pag.* 839. primum ut male lectus ſpectato CONS. V., ita pro ingenio ſuo inſolenti, an ſolita contorſione explicatus;

Q. HE. ETRVSC. ME. DECIVS. NO. C. *caput illius radiatum.*

P. M. TR. II. CONS. II. *Vir velatus ſtans ad aram cum patera.*

Ita ex BANDVRII. *T. I. pag.* 39. emendatum eum ſiſto; Nihil, inquam, ambo hi numi luminibus tuis obſtruunt, qui utrumque inſpexit Inluſtriſſimus Baro DE. LA. BASTIE de primo in eruditæ de pontificatu maximo Impp. Romanorum diatribæ parte altera *Memoires des inſcriptions, & belles lettres T. XII. pag.* 424. eum quidem ſubæratum non eſſe, adtamen ex ipſa numi fabrica probabili conjectura argui, averſam ex typariis Philippi adverſæ Trajani Decii errore mo-

 neta.

netarii conjunctam confidenter pronunciat; Idem ſub finem judicium fert de numo Hetruſci, quem pelliculatum eſſe adſerit.

In libellum prope jam epiſtola excrevit, neque tamen de poſticæ pulcerrimo typo verbulo diſſerui, piaculum id foret EQVES PERINLVSTRIS, patere tantiſper adhuc tecum conloquar, intelliges fere minimarum idearum ſeriem, ut mihi ſubiverunt; Conſultus primum Inl. MEZABARBAE catalogus parum hæſitantem juvit, id nempe ſolum *pag.* 352. poſtremo loco legeram: *Plures figuræ ſedentes in theatro cum inſcriptione, quæ legi nequit.* Edacitati temporis, cui alias antiquarii iraſcimur, hac vice gratulabar etiam, quod numum eum tuum ſubſpicatus, tibi fortunam reſervatam eſſe vidi, eum integerrimum numophilis oſtendendi; Quærendi ſubinde per varia typis edita muſæa deſiderium magis crevit, ubi nuſpiam ſimile inter Decianos numos ectypon ſe in conſpectum dedit.

Quare de anecdoti numiſmatis raritate triumphans, de illius explicatione deliberavi alia ex aliis, neque enim ad id tempus in numos Philippi Aug. alterum in muſæo Carpineo a CL. BONAROTTI inluſtrato *Tab. XVI. num. V. pag.* 292. alterum ejuſdem imperatoris in muſæo Florentino *Tom. IV. Tab. LXXV. num. III.* depictum, atque *Tom. VI. pag.* 142. conmentariolo declaratum incideram. In recinctu illo theatri mihi ipſos Vrbis muros, quorum ſcilicet dedicatio celebraretur, intueri videbar, magis me exercuerunt

runt figuræ illæ duæ, quæ adſpicientibus a læva ſe primæ objiciunt; Extima & nuda quidem an caduceum, an ſignum militare humero inpoſitum gereret, dubium; ut ut inſolens videbatur, deos ad congiaria vocare, invitabat tamen mirifice congruens utrumque inſtrumentum: Sæpius in Decii patris ære ſe GENIVS. EXERC. ILLVRICIANI. ſimili fere ſigno ſcalptus præſentat: quid ſi, ajebam, & dedicationis religionem, & ſacrificium caſtrenſe cum congiario ob diei celebritatem dato, adcincto jam ad expeditionem imperatore, perpetratum, monetarii ingenium nobis exhibere voluiſſet?

Nec Mercurius inportunus ſe inferebat, noſtri VIR ORNATISSIME frequentes admodum eſſe Herennii Hetruſci numos Mercurio inſignes, & quidem cum epigraphe: PIETAS. AVGG. apte ſane, cum ſuperius adſeruerim, Decio juniori hoc ipſo in feſto & tribunitiam poteſtatem, & proconſulare imperium a patre conlatum; Mercurium itineribus propitium, vel Hermæ docent, raro ſedentem videris, profectionibus ſuis ſemper intentum, unde illud Anytæ *Anthol. L. IV. pag.* 342. de eodem.

τὸ πλῆν δ' ἀτραπιτοῖς ὥνερ ἀερσχόμενος.
Nil placet ut varias vir peragrare vias.

Conſequens ſignum, quia in numiſmate tuo, quemadmodum ſcalptor feliciter nobis reddidit, mulierem obſert ad cingulum nudam manibus elatis, neſcio quid, portantem, nymphas ex SPONII marmore *Miſcel. erudit. Antiq. pag.* 32. atque alibi

alibi cælatas mihi in memoriam revocavit, jamque, quam illæ concham umbilicotenus geſtant, ſublimem hic arbitratus, thermarum dedicatarum præſidem ſalutabam, hæc tum:

Ubi tamen tam in illo Carpineo, qui minus, quam in altero muſæi Florentini, qui magis ad tui numiſmatis lineas adcedit, eo loco, quo mihi cum nympha Deciana aut Genius Illyrici, aut Mercurius obverſabatur, virum, feminamque veſtitam, illumque aut clava, aut ſi placet, faſcibus armatum ſum contuitus, amœna hæc ſomnia fere diſparuerunt, tum quod ſciebam, non ita facile ab ſemel inſtitutis typis monetarios abiviſſe, cum quod numiſma tuum ea parte adtritu aliquid eſt perpeſſum, quo tenues alioquin veſtes abſtergi poterant. Viderint hic, qui me melius videbunt, antiquarii alii, quid ſtatuendum, de theatro ſane ex numo Florentino ſum certiſſimus, in cujus medio Decium cum Hoſtiliano Cæſ. (belli enim aberat Hetruſcus Decius) in ſubgeſto, & corona ſenatorum conſidentem dum intueris, conſentientem hiſtoriæ epigraphen conproba, in qua AVG., non vero AVGG., etſi duo conſideant, eſt procuſum.


Nihil jam ſupereſt HAVERE CLARISSIME, quam ut de hoc cimelio tuo tibi iterum, quam poſſum maxime, gratuler, atque duo te moneam, quorum primum: ut ſuperbias etiam, qui liberalitates ipſas, ſi ita loqui licet, Augg., ſeu catalogum congiariorum *Hiſt. de l'Acad. Roy.*

des

des inſcript. & bel. let. T. I. pag. 244. contextum uno aliquo auxiſti, in ipſos pene auguſtos liberalis, neque enim de Decio niſi unicum eſt conſignatum, ſecundum hoc eſſe typorum varietas, περιςάσεων magnificentia, atque quod caput eſt, adſcripta TR. P. II. dubitare non ſinit.

Alterum eſt; ut ſingulare hoc tuum, atque præſtantiſſimum numiſma quam proxime ad alterum tuum cimelium raritate non inferius, gemmam volo Mercurii KEPATNIOT, conloces, quam GORIVS ὁ πάνυ tuus meuſque tantis laudibus *Theſ. Gemm. Aſtrif. T. II.* diatriba ſingulari celebravit; Quam libenter ſimili fibula, qua ille, epiſtolam clauderem, aut hanc conſequenti conjungerem, iſtiuſmodi antiquitatis bellaria cum ad manum non ſint, id oro EQVES PERINLVSTRIS, ut tuo in numo ad congiarium conſtipatos Romanos cives intueris, ita bibliothecam, muſæumque tuum cruditis, amicisque, quos inter me tolerabis, liberaliſſime patere indulgeas.

Dabam Vindobonæ ex bibliotheca Garelliana VIII. Cal. Nov. CIƆIƆCCLXI.



KHELLIVS HAVERO PERINLVSTRI

S. P. D.

Quod alias de autoribus dici adſolet, ab iis libros a ſe conſcriptos, ut a parentibus liberos ita amari, ut in oculis ferantur, id forſan de nobis antiquariis pronunciari etiam poterit VIR PERINLVSTRIS. Memini, ipſum me tanquam pro aris & focis pro Mariniana aliqua commatis Alexandrini epochæ L.Є. nempe anni V. cum clariſſimæ memoriæ hoc in

lite-

Digitized by Google

literarum genere magiſtro meo FROELICHIO decertare, neque de arena decedere, dum ab edito ex muſæo conlegii academici Vindobonenſis ſocietatis noſtræ poſtrema in adpendicula, anno CIϽIϽCCXLIV. inpreſſa, numo DIVAE. MARINIANAE. COL. VIM. AN. XV. inſcripto de adulterato meo ita convincerer, ut eum ex Saloninæ ſincero numo ſcitiſſime ſcalpro refictum denique, quamvis invitus fere, intuerer. Sentis, quo hæc exitura ſint; Vin' te amplius contra ferendam de propoſito numo ſententiam obmuniam?

Habe id, quod ad me ſuperiore anno Vir clariſſimus Philippus DE VENVTIS Præpoſitus Liburnenſis, cum illius amicitiam, & literarium conmercium avide conſectarer, reſcripſit: *Antiquarios*, ajebat, *neſcio quo bono Genio ubique gentium in Gallia, ubi plurimum degebam, & in Anglia integros homines, ſceleriſque puros ſemper novi.* An cum his corporis noſtri laudibus diſſimulationem, aut palpum tibi obtruſum conſiſtere poſſe arbitraris? Minime quidem, ſi te novi. Minoem habebis, nulla ſexus, nulla nobiliſſimæ feminæ reverentia, aut ducto in rugas Aug. filii duriore vultu movendum, nec terret

Iudicium Paridis, ſpretæque injuria formæ

Numus Veſpaſiæ Pollæ inter adulterinos proſcribitor. Audiſti ſenatus conſultum EQVES ORNATISSIME, quod

quod tam rigidum tibi videri non debet, cum jam ſimili cenſura eundem notaverint antiquarii, neſcio qui, Itali, quorum tamen adductis rationibus tam parum motus ſum, ut mirarer etiam: *Quella de Veſpaſia Polla*, ajunt in ſcheda mihi a te ſubmiſſa, *apocriffa*, *e non antica*, *perche non ſi e mai trovata*, *ne alcun autore parla di queſta Donna*, *& non ſi ſà*, *chi ſia*. Si univerſi numi illi, qui hactenus in antiquariorum manus non venere, nigro iſtiuſmodi Theta præfiguntur, quos tandem habebimus ἀνεκδότους? hoc ad primum; Excuſari poſſet alterum, reſtricta nempe ad autores antiquarios ſententia, niſi adjectum foret: *e non ſi ſà*, *chi ſia*. Ut prætercam ÆNEAM VICVM, qui inter aliarum Augg. effigies etiam hanc ad numiſmatis ſpeciem depictam exhibet *pag.* 170. an. SVETONIVM legerunt viri hi boni, qui iterum diſertis verbis Veſpaſiæ Pollæ mentionem facit?

Gravioribus tecum argumentis congrediar, ubi primum ea removero, quæ tibi γνησίαν numi antiquitatem perſuaſerant; cruſta terrea adeo denſa obductum narraveras, ut diuturno demum labore adhibito vultus, inſcriptionisque literæ ſe in conſpectum darent: emtum præterea in ſacco centum & amplius aliorum numiſmatum ſinceriſſimæ integritatis; præclarum inpoſtorem non ſine riſu ais, qui ut deciperêt, numi imaginem, atque epigraphen, qua adlicere debebat maxime, tam opaco cortice veſtiviſſet! maſtychen, viride æris, & tenui quidem lamella, adhibere adſolent, ut incautos fallant. Aſt finge, numum a falſario ſub-

Digitized by Google

ſubinde aut oblito, aut mortuo defoſſum, ab hærede, aliove forte inventum, inperito, ut fere ſunt, horum cimeliorum propolæ, aut pannoſo apellæ traditum, & mirare, ſi potes, eundem inter conplures genuinos alios tuas in manus veniſſe. Atque ita ſane eveniſſe, niſi me fallant omnia, luculenter ſatis efficiam.

Dabo interim, numum tam ſcite procuſum, id quod inferius negabo liberrime, ut omnem ſpeciem antiquitatis, atque ſcalprum ejus temporis redoleat; Matri ſuæ numum feriri permiſerit pius filius? Id enim vero in animum inducere non poſſum, non impium faciam Veſpaſianum, ſed ab ingenio illius nimium abhorret magnifica iſtiusmodi publico in ære majorum obſervantia. Ad SVETONIVM te cito, ita ille C. *XII*: *Mediocritatem priſtinam neque diſſimulavit unquam, ac frequenter etiam præ ſe tulit, quin & conantes quosdam originem Flavii generis ad conditores Reatinos, comitemque Herculis . . . . referre; irriſit ultro.* Et paullo poſt: *Ne tribunitiam quidem poteſtatem, & patris patriæ appellationem niſi ſero recepit.* Vide ſis, ut cum hac abſtinentia ſcalptoris parum de charactere Veſpaſiani ſoliciti inprudentiam concilies; adde ea oris lineamenta, quæ cum Veſpaſiani matre convenire non poſſunt, ſane ſi numi vultum HARDVINVS vidiſſet, primam Veſpaſiani, quam conmentus eſt *Hiſt. Aug. pag.* 738. conjugem matremque Titi & Domitiani ſe intueri juraſſet.

Scio urgente me juvenilem, quem ante referebat, vultum umbra extenuatum aliquantum, neque tamen ad aniles illas rugas, quæ etſi in numiſmate quidem nullæ ſunt, matrem Veſpaſiani tamen exarare debebant. Noſti annos LX. natum filium imperium adiviſſe, quis matrem tam vegetam, imo quis vivam præſtabit? Vixerit; An putas Martialem, qui nec a nitentis Veſpaſiani vultu*L. III. Epigr.* 89. abſtinuit, ſibi temperaſſe, cum enim S. C. conſignatus ſit numus, omnium erat in manibus? An non in pupæ magis, quam vetulæ matronæ imaginem adcommodaſſet ſimile aliquod carmen, quali Afram *L. I. Epigr.* 101. laceſſivit

Ipſa tatarum
Dici & mammarum maxima mamma poteſt.

Manliam aliquam Scantillam in ære intueremur, ſi Veſpaſianus hac parte Flaviæ genti indulgere voluiſſet, neque enim Reatinæ, minus Phalacrineæ matronæ ita cuticulam curabant, ut ex Romanis patritiis mollecula aliqua, cujus dum

Fœda aſpectu, ridendaque multo
Pane tumet facies, aut pinguia Poppæana
Spirat,

Poſtquam rugis proſciſſum, & ruinis undique hiantem

Tan-

Tandem aperit vultum, & tectoria prima reponit,
Incipit agnoſci Juven. Sat. VI.

Severitatem Sabinam in altero ſexu potiſſimum adhuc ævo Ciceronis viguiſſe teſtatur idem *Epiſt.* 20. ad Trebatium *L. XV. Oratorem meum Sabino tuo commendavi, natio me hominis impulit, ut recte putarem - - - - - - . modeſtus ejus vultus, ſermoque conſtans habere quiddam a Curibus videbatur.*

Video, quid velis HAVERE CLARISSIME, revocatam ſcilicet mortuæ memoriam. Arbitror aviæ Tertullæ potius æternitati, quæ a metallo ſperari poteſt, conſulturum fuiſſe Veſpaſianum, a qua in prædiis Coſanis educatus erat, matre, ut videtur, minus ſolicita & amante cum teſte SVETONIO: *eum identidem anteambulonem fratris* adpellaret, eodem ſane in loco lego: *Aviæ memoriam tantopere dilexit, ut ſolennibus ac feſtis diebus pocillo quoque ejus argenteo potare perſeveraverit.* Quam connexa ſententia hic addidiſſet hiſtoricus: matrem vero exemplo Caii etiam numo ejus honori ſignato honoravit, ſi quidquam in tabulis adnotatum inveniſſet; ſed quid de tabulis loquor, tanquam de remota ætate ſermo eſſet, ſi numum, qui ſub Trajano vixit Tranquillus, videre autem debuerat, vidiſſet.

Aliud præterea eſt, quod reprehendo, ſi mortuæ reſtituta eſt memoria, ubi conſuetus ille DIVAE titulus

lus ipſi nomini & cognomini præponi ſolitus? Melius profecto inperitus numi flator fraudem celaſſet, ſi, quam de induſtria poſt VES. in margine reliquit lacunam, converſis paullisper in ſiniſtram aliis epigraphes literis, ad dextram, ſeu initium deſtituiſſet, tum enim vero extritam DIVAE conpellationem minuto alicui antiquario perſuadere potuiſſet.

Obcupo, quod tibi hic ſubibit EQVES PERINLVSTRIS, paſſim in numophylaciis obſervari inquies, Agrippinæ Germanici numos Caji Aug. autoritate percuſſos a morte matris ſine illa conſecrationis hedera. Cave, ne te & Veſpaſiam tuam de hoc ipſo ſubgeſtu velut ex obliquo feriam peſſime; Tam in Agrippinæ Germanici, quam in aliarum Auguſtalium feminarum (ita eas conpellare liceat, quæ principes Romanos ſanguine contingebant) ſine *Auguſtæ* aut *Divæ* ornamento ſignatis numis, in quibus tamen filiorum pietas celebratur, *Matris* nomen non una litera M., ut in filiorum ære F. adjici ſolet, ſed MAT. tribus ſaltem elementis ſcalptum leges ubique.

AGRIPPINA. MAT. C. CAES. AVG. GERM.
AGRIPP. DIVI. CLAVD. NERONIS. CAES. MATER.
DIVI. CAESARIS. MATER. in Domitiæ numi averſa parte.

Age

Age jam & ſtilum plumbeum adripe, atque ſervatis intervallis, & literarum æquali dimenſione (admodum enim adcurati hac in calligraphia, ea præſertim ætate, erant monetarii) age, inquam, inſcribe. P. ut VES. compleatur, adjice AVG. quod abeſſe non poteſt, tum tandem intrude MAT, & Nævii ſilicem ſecuiſti; tentavi idem, neque tamen niſi pro ſolo M. ſpatium reperi, id quod ſine exemplo eſſe oſtendi, atque adeo, cum moris ſui fuerint tenaciſſimi IIIviri, certum adulterationis argumentum. Ad DIVAE titulum in Agrippinæ Germanici moneta omiſſum redeo, propoſitum enim mihi eſt, numiſma confictum ita minutim deartuare, ut murænam exoſſaverunt coci. Abeſt in numis Agrippinæ DIVAE conpellatio; In quibus velim? aureos, & argenteos mihi ex Inluſtr: MEZABARBAE, atque cimeliarchiorum catalogis aliis recitabis, nullum certæ γνησιότητος æneum.

Creſcit hinc confidentia, non alterius metalli eſt numus Veſpaſiæ adtributus, publicam S. C. autoritatem mentitur etiam; Abeſt in ejus generis DIVAE titulus, verum an non ſatis conpenſatur per averſæ epigraphen: MEMORIAE AGRIPPINAE, tum per typum carpenti a mulis vecti, ea enim vero, uſque ad Marcianam Trajani ſororem ratione ſenatus Romanus, cui æris ſignandi poteſtas permiſſa, conſecrationes feminarum auguſtæ familiæ publica in moneta ſolebat fingere. Si pro parum commode raſo potius, quam ſcalpto templo thenſa exhiberetur,

D cum

Digitized by Google

cum mulis triumphares novo pompæ genere HAVERE ORNATISSIME, præſertim ubi conſueta legeretur epigraphe: MEMORIAE. VESPASIAE. Obgeres, in pretioſiore metallo Agrippinæ omiſſum conſecrationis qualecunque teſtimonium.

Ne tibi quidquam debeam, ſi divinare licet, quis enim Caji venam ſatis certe tentaverit, arbitror, DIVAE conpellationem in numis juſſu filii ſtatis illius imperio a III. viris omiſſam, ne acerba matris mortuæ recordatio in animum rediret; Ut ſuperius ex ingenio Veſpaſiani contra numiſma tuum pugnavi, ita ex Caji animo, quem nobis SVETONIVS depinxit imperii initio, quod adſerui, infero, ita ille: *confeſtim Pandateriam, & Pontias ad transferendos matris fratriſque cineres feſtinavit, tempeſtate turbida, quo magis pietas emineret: adiitque venerabundus, atque per ſemet in urnas condidit. Nec minore ſcena Oſtiam præfixo in biremis puppe vexillo, & inde Romam Tiberi ſubvectos per ſplendidiſſimum quemque equeſtris ordinis medio ac fervente die duobus ferculis mauſoleo intulit, inferiaſque bis annua religione publice inſtituit, & eo amplius Circenſes, carpentumque, quo in pompa traduceretur.*

Quid niſi tenerrima amoris ſigna hic vides, altumque vulnus, quod vix cicatricem duxit? Sane nos ipſi parentum vultus inminente in epitaphio crucula ægro ſemper animo contuemur, ubi a tabula, in qua vivi depinguntur, ne-

nequaquam ita ferimur; Etſi divorum ſors forſan aliquibus ejus ſuperſtitionis melior mortalium conditione viſa fuerit, ſcimus vota pro conſecrationis dilatione concepta, unde MARTIALIS. *L. VIII. Epigr.* 39.

Eſſe velis oro ſerus conviva tonantis.

Adulatum eſſe ſenatum ne in animum induxeris, ſaturi erant harum nugarum patres, quibus Romanus in venis ſanguis micabat, anteriorum imperatorum intemperie regnante; An principis laudatam mediocritatem offendere ſibi ſumſiſſent, qui teſte DIONE: *in curia fere ſemper aderat.* Ες δὲ τὸ συνέδριον διαπαντὸς ἐφοίτα? *Quos convivas frequentes, & quotidianos habuit*, Συσσίτυς τε ἐκ τῶν αὐτῶν ἐκείνων - - - - καθ' ἑκάςην ἡμέραν συχνὺς ἐποιεῖτο? Quibus non ſalibus, ut erat facetus, vel auditum patrum conſilium de matris numo, aut apotheoſi inlatum perfricuiſſet, qui de ſua ipſe conſecratione morbo ingruente nugabatur noto illo apud SVETONIVM: *Ut puto, Deus ſio?*

Si quod reſiduum tam populari principi placendi fuiſſet ſtudium, Domitillam conjugem, exiſtimo, ſimili honoris teſtificatione coluiſſent potius, aſt tam antiquariorum, quam ipſorum numorum ſubfragio extra dubium eſt, a Tito tandem illius effigiem in moneta ſignatam, atque ſi æneos ſpectes præter duos dubiæ autoritatis, conſueta apud alias ſuperioris ætatis auguſtas epigraphes ratione: ME-

MORIAE. DOMITILLAE, quæ ſub Domitiano in Juliæ Titi filiæ æneis eſt conſervata; Id quod iterum inculco, quia Romani, atque in monumentis publicis præcipue, non tam facile, quam nos hodie, ab antiquo more deſciverunt. Videntur mihi præterea hac in fabrica præiviſſe principes, ſenatum ſecutum: aureos, & argenteos Divæ Domitillæ poſſidemus, neque Trajani patris æneos forſan haberemus, niſi ſenatus auro, & argento principis ad privatum celebrandum fuiſſet provocatus; Aureum, aut argenteum Veſpaſiæ Pollæ antiqui laboris producito, & obſecutum principis exemplo ſenatum mitior jam, ſi cetera addicunt, indulgebo libenter.

Muto ſcenam, inter pſecades & ornatrices me ingero, non refugio gynæceum, dum tuæ Veſpaſiæ tam male fiat, quam olim infelices patiebantur puellæ ab herarum intemperie. Cultum capitis VIR. CLARISSIME cum ornatu certarum ejus temporis auguſtarum conpara, inſpice Domitillæ, Domitiæ, Juliæ Titi numos, diverſa ubique capillorum fabrica, altera capitis ædificatio, ut cum Satyrico loquar.

Novi mutabile hac in parte feminarum ingenium, id tamen ſcio, eandem comendi rationem, ut apud nos hodie, aliquam diu obtinuiſſe; ita Matidia cum Marciana ſatis conſentit: Sabina Hadriani jam Plotinam, jam Marcianam, aut ſi gemmas muſæi Florentini *T. I. Tab.* 10. con-

ſulas

Digitized by Google

ſulas, Matidiam eſt imitata: quos frequentiores habemus Lucillæ numos, ii capillos ut in matre Fauſtina conpoſitos offerunt. De Veſpaſia tua Polla, ſi epigraphe abeſſet, commodius vix ſubit aliquid, quam ut ad Juliam Piam Severi uxorem, cujuſmodi protomen me in gaza Auſtriacâ urbis noſtræ videre memini, eam referrem, prohibet enim metallum, & Latina inſcriptio illam cum Salonina commatis Alexandrini, cum qua tamen belle congrueret, conparare.

Objicies, cultu Nurſiano eam exhiberi, ut forſan in quadam cera ab familia & filio principe adſervabatur; Contra adſenſum filii jam diſputavi ſuperius, cedo quis effigiem furtim ſublegerit? Dabo, fuiſſe hunc matris ornatum, verum an non plaſtæ ſe eos præbuerint, quales apud nos pictores, indulta ſeculi & morum genio ſe adcommodandi libertate? an non avos noſtros, neſcio quibus palliis involutos, veſte denique ab ætate, qua vixerunt, multum diverſa in atriis nobiliorum videmus? Ita etiam arbitror typariorum fabros, cum in effigie auguſtæ obcupabantur, non multum de cultu capitis elaboraſſe; verum eum inpoſuiſſe, qui tum in nobili gynæceo vigebat inluſtrior.

Velut ad ſacram anchoram undique jactatus ad ARNEAE. VICI librum: *Auguſtarum imagines æneis formis expreſſæ pag.* 270. confugies EQVES. ORNATISSIME. Quam metuo, ne in vado iterum hic adhæreſcat ſingularis fabri-

cæ numus; conſentit ornatus capilli, id denique totum eſt. Verum ex ipſo VICO numi ſinceritatem exquiramus; Audin' in præfatione loquentem, profeſſum jam conmemoratas numiſmatum picturas minime omnes ex antiquis exemplaribus excerptas: *Neque tamen*, ait *ex me ipſo ea confinxi* - - - - - *verum partim ex libro quodam a diverſis compoſito, & ab Andrea* FVLVIO *præcipue* - - - - - *depromuntur. Hæc quidem an vere ex antiquis numiſmatibus, vel ſculpturis, vel ex ſtatuis depromta fuerint, non facile affirmaverim.*

Viden', ut ſolum ubique ſub pedibus cedat, hæſitat ipſe integerrimus Parmenſis. Subjicit dein tabellas, quarum altera eas effigies recenſet, quæ ex numis depictæ ſunt, in harum tamen ſerie ne verbulum de Veſpaſia, infauſta hæc matrona ad FVLVII librum tabella prima eſt relegata cum Marcia Cæſaris avia, Julia amita & Aurelia matre, quarum numos aliquando detegendos ne tu quidem ſuſpicaberis.

FVLVIO ergo fictionis notam inpingemus? Ita omnino, dum de Veſpaſia Polla res eſt, cenſeo, poterat aliquarum matronarum, quæ ibi referuntur vultus ex monumentis aliis puta, ſtatuis expingere, adtamen hoc de Veſpaſiani matre iterum inficior. Cedo, a quo hæc poſita fuiſſet? a filio? an ab ſenatu? Neutrum factum eſſe ex SVETONIO, & DIONE CASSIO conficio, narrat ille *C. XXIII.* ſub finem: *Nuntiantes legatos, decretam ei publice non mediocris ſummæ ſtatuam coloſſeam, juſſit, ut continuo ponerent,*

ca-

cavam manum oſtentans, & paratam baſin dicens. Hic *L. XVI.* paullo aliis verbis: Περιέτεινε τὴν χεῖρα, καὶ ἔφη· Δότε μοι τὸ ἀργύριον· ἡ γὰρ βάσις αὐτοῦ αὕτη ἐστι. *Porrecta manu: vos vero inquit, mihi argentum date, hæc enim ejus baſis eſt.* Age jam & Phidiæ alicui Veſpaſiæ ſtatuam aut juſſu, aut permiſſu filii loca ſodes.

Nec a gemmula præſidium; perquiſivi ſtudioſe duos tomos muſæi Florentini, MAFFEI *Gemme Antiche Figurate* tomos quatuor, GORLAEI Dactyliothecam, AVGVSTINI, aliorumque minores ſcalptorum lapidum conlectiones, quin vivam ut ita loquar, optimæ memoriæ IOS. DE FRANCE propterea huc magis congruam, quia traditione aliqua ipſam AENEAE. VICI auguſtorum, auguſtarumque ſeriem in pretioſis diverſi generis lapillis poſſediſſe ſciebam, exhibuit hanc non ſolum iterum antiqua benevolentia Perinluſtris FRANCISCA SMITMERIANA conjux ut cimeliorum ita comitatis, & eruditionis antiquariæ ex aſſe hæres, ſed cera etiam expreſſas imagines novo beneficio dono obtulit, neque tamen inter centum & amplius feminarum auguſtarum capita ſeu vultum, ſeu capilli diſcrimen ſpectes, ullum ſimile videre licuit.

Adtamen cultus capitis convenit apud VICVM. Ut te in omnes partes vertis, ne numus diſpereat. Ita quidem, verum diverſa ſunt reliqua omnia: epigraphe ſpectato τῷ MAT. magis ad morem antiquum adcommodata: litera-

terarum ordo aliis limbi partibus reſpondens: vultus alter, magisque ſenilis: dein ad ſiniſtram converſus, qui tuo in numo dextram reſpicit. An putas, diverſa elaborata eſſe typaria ejus matronæ, cujus, antequam tibi hæc, ſi placet, fortuna obtingeret, nullus unquam numus in alicujus antiquarii manum venerat?

Hactenus ad partem adverſam numiſmatis adhæſi, eadem cenſura jam averſam vexabo, quemcunque demum vultum ducas HAVERE ORNATISSIME. Templum pro carpento, quod malles, offert ſine epigraphe. Si quid hactenus in re numaria didici, id ſcio, auguſtorum, auguſtarumque vultibus fere, ſi templa in poſtica Romani commatis exhibentur, ea conſignata eſſe, quæ aut ab ipſis ſtructa, aut vitio facto ſuis, aut publicis inpenſis fuerunt reſtituta: Templum IOVI. OLY. ſacrum capiti Auguſti eſt jugatum, de quo SVETONIVS *L. II. c. 60: Reges amici, atque ſocii - - - - cuncti ſimul ædem Jovis Olympii, Athenis antiquitus incboatam, perficere communi ſumtu deſtinaverunt, Genioque ejus dedicare.* In Caji numo æneo elegans templum cum ſacrificio noſtræ memoriæ reliquerunt monetarii, inſcriptum: DIVO. AVG., hujus meminit DIO *L. LIX. pag.* 644. Ἐκ δὲ τούτου τὸ ἡρῷον τὸ τοῦ Αὐγούστου ὁσίωσε τὴν ἐπινίκιον στολὴν ἐνδύς. *Deinde Cajus habitu triumphali templum Auguſti dedicavit.*

Do-

Domitiani numiſma argenteum inter elegantiora habendum Jovem cum haſta conſidentem intra templum tetraſtylum in conum adſurgens depingit cum epigraphe: IMP. CAES., ſubfragantur SVETONIVS, & TACITVS, ille *c. V. Novam autem excitavit ædem in capitolio cuſtodi Jovi. Hic Hiſt. L. III. c.* 74. *Mox imperium adeptus Jovi Cuſtodi templum ingens, ſeque in ſinu dei ſacravit.*

Neſcis, quorſum hi arietes? In templum numo tuo deſignatum libratos eſſe mox intelliges, ubi unum, alterumve præterea in aciem produxero. Antonini Pii capiti conjunctum eſt alterum octoſtylum cum epigraphe: TEMPLVM. DIVI. AVG. REST. qui numus hiſtoricorum aut negligentiam, aut temporis injurias, quibus codices ſunt abſumti, ſubplet. Fauſtinam ſeniorem commendant numi argentei antiquariis admodum jucundi, alii: AED. DIV. FAVSTINAE; alii: DEDICATIO. AEDIS. inſcripti, in quibus ædificium ſex columnarum videmus ejus memoriæ in via ſacra regionis quartæ excitatum; Habet ſuum etiam hic numus teſtimonium a CAPITOLINO, ædem nempe hanc tum ſtructam fuiſſe, audin': *Tertio anno imperii ſui Fauſtinam uxorem perdidit, quæ a ſenatu conſecrata eſt delatis Circenſibus atque templo.*

Habes hic inductione aliqua conprobatum, templa in numis percuſſa aut conſecratorum eorundem honori, quorum effigies referunt, aut diis aliis dedicata ab auguſtis in

antica depictis fuiſſe. Ad Titum ne recurras, etſi fruſtra id foret etiam, jam viam bigis mulorum obvallavi. Veſpaſiani ædificia enumerat SVETONIVS. *c. XI. Fecit & nova opera templum Pacis foro proximum, Divique Claudii in Cœlio monte, cœptum quidem ab Agrippina, ſed a Nerone funditus deſtructum.* Omitto amphitheatrum, item aquas Curtiam, & cæruleam, quas inter monumenta Claudii reparata ex AVRELIO VICTORE refert Torrentius in conmentariis editionis Græviànæ, hæc, inquam, prætereo, quia ſubſtructio, quam numiſma obtrudit, nullam horum ædificiorum ſpeciem refert, in templis ſiſtamus.

Templum Pacis in patris, & filii Veſpaſiani numis ſe oſtentat eo omnino ornatu, quem nobis HERODIANVS *L. I.* incendio deſtructum conmemorat: μέγιϛον καὶ κάλλιϛον γενόμενον τῶν ἐν τῇ πόλει ἔργων. *Operum omnium tota Urbe maximum, & pulcerrimum.* Hexaſtylon in fronte eſt, ut etiam majore forma depinxit GRAEVIVS *T. III. Antiq. Rom. pag.* 665. Idem nobis templum Claudii rotundum exhibet *Ibidem pag.* 714, S. Stephani honoribus jam conſecratum. Neque hic ad negligentiorem ſcalptorum laborem confugere licet, velut jam pauciora, jam plura ornamenta, jam hanc, illamve faciem chalybi inſcalpſiſſent; Templum ſeu ædes Fauſtinæ eadem *pag.* 669. *Theſ. Brand. T. II.* diverſis tribus typis, neglectis forſan aliquibus architectonicis bellariis objicitur, adtamen quod ædificii corpus adtinebat, ubique ſex columnarum fulcris nititur, has ſi in tuo ſpectaremus, tem-

Digitized by Google

templi Pacis aliquam ſaltem ideam nobis ſiſteret, averſis paulliſper a tholo medio, & coronice oculis, ille enim in aliis omnibus abeſt, fronte penitus alia.

Tam diverſum a certis ejus ætatis templis cum tuum ſit, epigraphe ſaltem aliqua nos juvare debuiſſet III vir monetalis. Veſtæ templum, dices, aliquando ſine ulla epigraphe ſe ſiſtere; Non negabo, Veſtæ templo ſatis belle cum vetula tua Veſpaſia convenire, aſt quis neſcit, rotundum illud fuiſſe? Abeſt nonnunquam inſcriptio, quia ædes hæc jam inde a denariis familiæ Caſſiæ erat notiſſima, hoc tamen non obſtante aureum ἀνέκδοτον Juliæ Domnæ videbis *Tab. III. N.* 5. *Cimelii Auſtriaci* cum templo eodem & ſacrificio inſcriptum: VESTA. Ad ſimilem fere numum erudite conjicit CL. VAILLANT reſtauratum illud fuiſſe Juliæ hujus munificentia, cum HERODIANVS *L. I. c.* 22. ὅτε καὶ τῆς Ἑςίας τῦ νεὼ καταφλεχθέντος ὑπὸ τῦ πυρὸς γυμνωθὲν ὤφθη τὸ τῆς Παλλάδος ἄγαλμα - - - - - ἀρπάσασαι γὰρ τὸ ἄγαλμα αἱ τῆς Ἑςίας ἱέρειαι παρθένοι διὰ μέσης τῆς ἱερᾶς ὁδῦ εἰς τὴν τῦ βασιλέως αὐλὴν μετεκόμισαν. *Tum* (nempe V.C. an. 944. ſub Commodo) *incendio abſumto Veſtæ templo Palladium nudum conſpectum eſt - - - - - quippe raptum id Veſtales virgines media via ſacra in aulam imperatoris transtulere.* Referre hæc placuit, ut videas, non temere matronarum numis templa inſcalpta, atque vel tum epigraphen adjectam.

E 2 Quod

Quod ad defenſionem obſtinatam templi in mentem venire poſſet denique, ut evertam: interiiſſe, inquies, hiſtoricos, notum ſatis fuiſſe templum iis, qui ætate proxima vixerunt: in omnium manibus verſari numos VICTORIA. AVG. inſignes, typo ſolito magno numero ſub diverſis auguſtis cuſos, quin gens memoretur, aut provincia, unde lauri demeſſæ, etſi in aliquibus Germaniæ, Parthiæ, aliarum fiat mentio, ſatis nempe notum erat populo Romano, unde triumphales hæ monetæ proficiſcerentur. Notum item ajo, ſubjectis Romano orbi provinciis, nunquam aciei formam, evolutionum caſus, & quæ ad rei geſtæ ampliorem notitiam facere poterant, ut apud nos in chartis, tum in numis depingi in more fuiſſe: aſt ſi de ædificio ſacro ab ædilibus curato res erat, pro ea, qua in publica monumenta, & perpetuam memoriam ferebantur propenſione monetarii, remotiſſimis Romani imperii populis operis magnificam ideam communicatam volebant non vaga aliqua templi cujuſcunque, ſed ejuſdem, quod ſeu erectum, ſeu novo ſplendore refectum erat, ut numi ferebat area, orthographia ſummis ſaltem lineis adumbrata.

Vidiſti me ſuperius VIR PERINLVSTRIS inter ſpecula, pectines, pyxides, calamiſtra ornatricibus mixtum, decempeda armatus architectum jam induo, adfirmare audeo: Romanos Veſpaſiani, aut vicina filiorum ætate nequaquam tuo in numo ſuum aliquod ædificium agnituros fuiſſe. Omitto alia, quæ Inluſtriſſ. CAYLVS, ſi hunc

Digitized by Google

hunc in numum inlcidiſſet, multo melius ad artis leges deartuaret, in ſtatuas coronidem prementes ſolum intentus; dimenſionem ſi exigis ſedentium, coloſſeæ erunt, inferiores ſuperaturæ; An Helladem, an Flaviorum ævum ſapit proportio? an hic ſitus ſine acroteriis præterea? An non hodie vapularet architectus, qui iſtiusmodi ſellulariis ædificii frontem deformaſſet? Stantes hoc loco, aut in humerum, baſi aliqua adjutas, decumbentes ſtatuas eurythmia exigit. Ubi frontiſpicium, quod Romana, Græcaque templa coronare ſolet? ubi decor ille, & majeſtas, quæ ex templo Pacis in Flaviorum moneta elucet?

Ad id jam venio, quod, ſi cetera abeſſent omnia, ſolum noſtra in re publica Veſpaſiam cum tota ſubſtructione evertit. Fabrica averſæ, de monetaria loquor, cum adverſæ partis labore minime congruit; ſatis commode hanc labem pictor, ſcalptorque tuus exhibuere, etſi caput prominente opere antiquitatem ſpiret tam humilia ſunt omnia in poſtica, atque vix ex area promicantia, ut ſi ſignum S. C. abeſſet, prima fronte in Hiſpanica, aut Syriaca aliqua colonia flatum, non percuſſum exiſtimarem, antica non inſpecta, ubi tamen adcuratius in omnem partem verſatus fuit, ne fuſum quidem, ſed ſcalpro miſerum in modum raſum cenſebam potius.

Erunt, qui me reprehendent, VIR PERINLVSTRIS; quod tam certum adulterationis indicium ultimo loco reſervavi, aſt veniam merebor, ubi obſervaverint, me tuo id dolori tribuiſſe, videbunt voluiſſe me, ut dubia *γνησιότης* numi hactenus non viſi lente quaſi per gradus, qui cogitari poterant, emoriatur, ſimulque animum erga te meum HAVERE CLARISSIME conteſtarer, qui dum etiam adulterino in numo verſatus eſt ſeveritate, quam mihi tua ex facilitate permiſiſti, ſinceriſſimum ſe atque ad obſequia literaria paratiſſimum luculenter prodidit. Vale.

Dabam ex Bibliotheca Garelliana Nonis Nov. CIↃIↃCCLXI.

99 976135

Digitized by Google